

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Festing

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Festingius, ad
exequias, quae hodie Elegantissimo Infanti Johanni Friderico Lembken/ Viri ...
Dn. Jacobi Lembken/ ICti & Antecessoris huius Acad. ... filiole desideratissimo,
debito cum studio parantur ... Omnes Omnia Ordinum Cives Academicos ...
invitat**

Rostochii: Wepplingius, [1689]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn773015418>

Druck Freier  Zugang



Festing, J.

in

J. F. Lembke.

Rostock, 1689.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn773015418/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn773015418/phys_0004)

DFG

PROGRAMMA
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
**JOHANNES FE-
STINGIUS,**
ad exequias,
quæ hodie
Elegantissimo Infanti
**JOHANNI FRI-
DERICO Lembken/**

VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, ATQ; EXCELLENTISSIMI
D. N. JACOBI Lembken/

JCTi & Antecessoris hujus Acad. celeberrimi,
Collegii Professorum Senatorii Senioris, atq; h. t.
Facultatis Jurid. DECANI spectabilis
filiolo desideratissimo,
debito cum studio parantur,
frequenter eundas

Omnis Omnia Ordinum Cives Academicos studiosè
humaniterq; invitat.

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS WEPPLINGII, Universit. Typogr.





Rospicit ultra secula
votum qvodcunque generosi
hominis, ubi nominis memo-
riam expetit , inq; *prole* sua
aut *gloria* vitam sibi etiam
post mortem quærit . Hæc
causa est , quare suæ unus-
quisque posteritati illud desti-
net qvod in deliciis habitum
est , dum fortunatos sortis-

que similis optat seros nepotes : imò hinc fit , ut nemo
nisi diuturnitatis bene memor pulcrum artis monumen-
tum aut ornamentum extruat : & profuisse per multa
secula pars gaudii anticipatur maximi . Certè faciles
mores sunt , ubi affectus ducunt , qvos natura instruit,
inqve posteris perpetuari affectionem , mirum non est .
Quid autem non boni hic accidisse dicendum est , si avitam
liberi speculantur gloriam : aut qvinam non prosperrimi
eventus ex iis exspectandi sunt , qvorum vita
mors erit , nisi in paternis laudibus illucescat eorundem
memoria ? Hic sanè non contemnenda felicitas
sed magni undiq; aestimanda visa est , si per natales pluri-
ribus obtigerit , virtutum gloriaq; fibi exemplum dome-
sticum habere : filoquatur per orbem fama parentum
gloriam , qvorum merita dotesque venerantur boni : si
admirentur illi , qibus volupe est aspernari virtutum
robora , dum aspernari non potuerunt eum , qui illuxit
latissimorum eventuum laudatisq; sapientiae ex-
perimentis splendor . Notissimum illud est Horatia-
num lib. 4. od. 4.

*Fortes creantur fortibus: Et bonis
Est in juventute, est in equis patrum,*

Virtus

*Virtus: nec imbellum feroceſ
Progenerant aquile columbam;
Doctrina ſed vim promovet iſtam;
Rectiq; culſus pectora roborant.*

Scilicet ea enim eſt natura hominum, ut vivacia inge-
nia erigantur, cum ex luce alienæ laudis excitatur vigor;
tum filiorum turpis ignominia cenſetur, æmulam paternæ
virtutis haud exhibuiſſe indolet. Quid autem non di-
cendum erit, ſi ipſe heres paterni nominis optimum ſe
præſtiterit virtutum æmulum, dignum magno parente
filium? Sicut parentum virtus lux dicitur quæ omnes
ſobolis culpas maniſtare: ita laudis efferetur præconiūs
filius, per quem trabeata floret nobilitas, & ſpes eſt, ut
per fasces olim numerentur avi. Eſt talis filius parentum
gloria, quam magno hi præſpeculantur deſiderio: eſt deli-
ciūm domus, quæ crescit in virtute ejus proſperimē: eſt
cariſſimum civitati pignus, cujuſ gratiis parens amorem
ſuum erga iſtam firmat, meritorumq; ſuā ex progenie
tanquam ex ſe ipſo augmentum procreat. Ceterū nec
hi quidem præcludenda laudum via eſt, nec ſine omni
bonorum exſpectatione cenſendi, qui genere humiliori
nati ſunt. Imò non raro ab hiſ illi ſuperati ſunt, quorum
non pauci bene natam nobilitatem maculâ degeneris ani-
mi dedecorarunt. Quocirca licet variis ex teſtimoniis
ſapientum varia argumenta hâc in re non deficerent:
modò Arrianus audiendus eſt, qui ſic prudentiſſimē &
ſapienter, dum unum introducit dicentem *Melior ſumte,*
nam pater meus consularis eſt, mox alium reſpoſorem facit,
Ego tribunatum geffi, tu non. *Quod si equi eſſemus, diceres,*
pater meus velocior fuīt? *Ego multum bordei habeo & fāni,* aut
elegantes phaleras? *Ego verò te ita dicente reſpondere:*
Eſto ita, curramus ergo. Evidem disputatum diu eſt,
ſatiuſne ſit in concurſu potius admitti generoſi prolem
A 2 ſanguini-

sanguinis, quām eum, qvi ignobili ac obscuro natus gene-
re? Qvā certe in re licet magno merito in præconio ha-
beatur, qvi eō suā virtute inclaruit, unde sibi tantum
tribuere censentur heredes eorum qvi pariter famam na-
ctisunt: tamen id in ipsis demum utilitatum publica-
rum experimentis, & dum operantur modò rei-
publicæ, concedendum; non verò præsumptionum
prærogativæ (ipsis illis, de qvorum genere inferiori qvæ-
ritur, justis arbitris) invidendum erit. Etenim non pote-
runt excludi à favore eximio qui nec gloriæ majorum
obliti sunt quiq; eorum successores sui rectè meminerunt
officii. Adeo si qua unquam viciſſitudinis humanae dura
nobis imago oritur, non magis certe oritur, quām si
virorum longe meritissimorum progeniem infra dignita-
tes avitas folidamq; cernimus. Quare sicut non potest
non movere ipsa nos opinio, quam de meritis humanis
capimus, immò facile dolere omnes cogimur si in poste-
ris malorum copia metuenda sit: ita hæc videntur vir-
tutum præmia, ut bonus quisq; magni in progenie bono-
rum eas faciat, & per gloriam evehat, dum ipse iis inten-
tus est. Sed amplius quam sibi gratiam per collata in rem
publicam beneficia laudatissimi quærunt homines, ea nisi
perpetuaretur in progenie, ingratiprorsus animi signa fer-
rent illi, qui uterentur partis per illos bonis & gratiam fa-
voris denegarent nunc aliter non nisi in meritissimorum
illorum progenie demonstrandam. Hinc facilis favore ma-
gis promoventur magnorum Virorum filii, illiq; iis etiam
non minus cordi sunt qui *homines* inter alios *novi* audiunt.
Quid enim non valet idem in posteris sperandum exemplū,
in quo cogitatio dulcis indeque etiam pro se suisque blan-
da hæc sperandi dulcedo est? Eheu speculemur nostro-
rum temporum miserias, ubi illa, quæ in excitandis requi-
runtur subsidia, tam rara, tam remota sunt, ut plerique
statim

statim desertores fiant studiorum, per pauci vero non sine magna diffidentia, (quae plerumque juvenes avertit) seriūs que ad id progrediantur, ad quod alii leviore via ducti sine magno labore & sine ulla diffidentia perducuntur. Hac ratione magis educationi maximam in familiis laudatissimis vim inesse existimandum est. Tum vero o secula! o mores! quis nescit vitia innumera, quorum pauci devitarunt fœda illectamina, dum rari sponte virtutis viam, ut Alcides, magno animo ingrediuntur, in eaque indefecto vigore statuonem retinent. Quænam hinc non monita requiruntur? qualia non meliora exspectanda quam ab iis qui rerum experientia prudentiique doctrina instructissimi cum sapientiae autoritate suis ipsis in virtutibus exempla proponunt. Sic optimæ illud educationis bonarumque familiarum ex sedula tali curâ præmium est, ut virtus filii contemtui non sit, quia ita quibusdam videatur: quin potius ex consilio Gregorii & prudentibus parentum monitis stultos habent qui hoc existimant, qui omnes sui similes cupiunt, ut privata eorum vitia sub communibus deliteant. At infra parentum autoritatem saepe inferioribus in locis despiciuntur consilia, ubi sapientiae viam & rectitudinem præceptorum ignorasse ipsi parentes deprehensi; indeq; filii verba ceu inania cordi non sunt. Verum enim vero quid pluribus verbis opus est? etiam si vulgare dictum sit: *Herorum filii noxae*, idq; tunc ut plurimum obtineat, cum rem privatam plane negligant parentes: hinc lætior tamen spes est, ubi in probâ suâ progenie rem publicam auxisse cognita parentum cura est. Quid nunc dicendum erit, si ex magnâ spe perturbatos videamus, si parentes laudatissimi amiserint futuram effigiem mortis suorum, virtutis, constantiae, pietatis, ingenii filium? Ipse amor qui ex generatione resultat, dolores indicat, ubi paterni cor-

A 3

poris

poris portio subtracta est. Unde cives & amici prolixo non minus affectu videntur & condolescere & con gemiscere & conturbari: omnesq; ægrè ferunt casum qui faciem amicorum beneq; meritorum tristorem reddit, cujusq; gravitate rempublicam in partibus augmenti spes bona deseruit. Evidem h̄c propitiis ad scopum progredimur qui humanit̄s morte filii elegantissimi optimæq; spei tristem domum inclytam conspicimus. Sic primis in annis extictus est suavissimus **JOHANNES FRIDERICUS Lembke**/ qui hoc anno die 22. Julii circa horam X. natus, nuper hoc mense, die XI. circa horam V. matutinam denatus est. Consideremus nobilem bellissimi infantis ortum, consideremus virtutes atque merita parentum, majorum gloriam & tot ac tanta probitatis documenta: hic certe qvanta nobis spes visa est! qvanta nunc secuta parentum mœstitia! qvantoq; magis nos debemus luctum ferre, pronisq; animis agnoscere damnū stirpis nobilissimæ, & solatiis tamen non minius minuere dolores qui ex natura in parentibus majores sunt! Natus hic noster Patre Viro Nobilissimo, Ampliss. atq; Excellentissimo **DN. JACOBO LEMBKEN**/ JC. & Antecessore hujus Academiæ celebrissimo, Ampliss. Collegii Professorum Senatorii Seniore & h.t. Facult. Juridicæ Decano spectabili, Dn. Collega nostro & Amico honoratissimo. Ac matrem laudamus feminam nobilissimam omniumque virtutum ornatu splendidissimam **ANNAM MARIAM SCHWARTZKOPF**. Avum paternum habuit Virum itidem Nobilissimū, Ampliss. atq; Excellentissimum **DN. HERMANNUM Lembken**/ JC. & Antecessorem hujus Acad. longè celebratissimum ac inclytæ hujus Civitatis Rostochiensis Syndicum meritissimum.. Avia paterna adhuc per Dei gratiam superstes Matrona sexus sui virtutum

tutum laudibus condecoratisima **ELISABETHA** **Schnit-**
lers / inter temporum nostrorum fortunas illa exempli
(ut verbis utar Fabii Qvinctili:) mulier, illa seculi decus.
Avus maternus est Vir Nobilissimus & Amplissimus ma-
gnarumq; rerum gerendarum prudentia insignis &
conspicuus **DN. CASPARUS** **Schwarzkopff** / JCtus
excellentissimus, Ducalis Consiliarius Megapol, nec non
inlytæ Reipublicæ Wismariensis Consul primarius atque
Syndicus meritissimus, Dn. Fautor & Amicus noster ho-
noratissimns. Qvâ eâdem ex maternâ parte Aviam In-
fantis optimi venerantur omnes boni & magni faciunt
Matronam Nobilissimam atq; Spectatissimam **ELISABE-**
THAM CATHARINAM **Puzen** / quæ sicuti ex Majorum
præstantia summis exemplum sibi; ita posteri |non mi-
nus tanq; in speculum in vitam ejus inspicere jube-
buntur. Proavus paternus primus fuit Vir Amplissi-
mus & Prudentissimus **DN. JACOBUS** **Lembke** / Inlytæ
hujus Civitatis Senator Senior & Camerarius gravissimus:
Proavia materna prima laudatissima **ANNA** **Gribnizen**.
Proavus secundus paternus extitit Vir Integerrimus &
Spectatissimus **DN. JOHANNES** **Schnittler** / Inter xvi.
Viros hujus Reipubl. Præfectosq; ædis Marianæ qvondam
primarius: Proviaq; cum eo femina Ornatissima
honestissimaq; **ELISABETHA** **Gusebiers**. Proavum
maternum primum habuit Ampliss. itidem ac prudentiss.
DN. JOACHIMUM **Schwarzkopff** / Senatorem & Ca-
merarium hujus Civit. Spectatiss. qvocum laudatur Proa-
via matronaliū virtutum decorum fulgidiss. **ANNA** **Behmen**.
Alter Proavus maternus celebratur Vir Nobiliss. Ampliss.
atque Excellentissimus **DN. EMMANUEL** **Puzen** / JCtus
& Aulæ Frisicæ Consiliarius gravissimus, Cujus uxor
Nobilissima **CATHARINA** **Schlüters**; eaq; altera
Proavia materna bæti nostri **JOHANNIS** **FRIDERI-**

CI

Ci fuit cūmūlatissimā cūm virtutum laude mēmorable
lis matrona. His ortus erat parentibus, cujus in futurā
vitā non parentibus saltem gaudium, & familiæ ornamen-
tum; sed cunctis deliciis atq; reipubl. augmentum spe-
rabatur. Et sane quis non à Deo benedictionis gratiam
progeniei parentum optimorum prospicere voluisse, et
quem pietati largas aures præbere inq; bonis preces con-
firmare ipsum verbum ejus veracissimum loquitur? Equi-
dēm maximas Deo Optimo Maximo ago gratias, quod
conscientiæ firmamentum in prudentia ac pietate Con-
sultissimi Collegæ, parentis hujus filioli optimi, datum sit.
Adeò quod magis aliquando homines sequuntur antecedentia
gregem pergentes non quā eundum est sed quā itur,
eō magis gaudeo, quod ex veris rationibus conscientiæq;
diligenti scrutamine, quid melius & æquius, decernere
semper vilus sit, semperq; primam conscientiæ rationem
habuerit. Altè insita animo Viri Antecessoris sententia
est, quod Jurisconsultus, si quis aliis, finem cogitare de-
beat & informare conscientiam, nisi errare potius qvā
verā incedere viā malit. Qvapp. si tantam ingenii piaq;
prudentiæ bonitatem redundantē dixerim in progeniem,
qvis non affirmaret, qvis non spei ubertatem collau-
dabit amicissimè? Postulat profectò publicorum Docto-
rum conscientia, ut ad veros conscientiæ fontes ducant
juventutem, & monstrant, qvomodo non omni motu fer-
ri debeat, sed æquitatis & divinæ justitiæ omnimodam ha-
bere rationem; unde commodâ poterunt discendi facul-
tate perdisce ea jura per qvæ tanquam justissimos trami-
tes defendantur boni & calumniantium iniqvitates ex-
pellantur. Certè sicut graviter peccat qui non optimis
præceptis imbuit juventutem nec ab ineunte ætate consci-
entiæ causam atq; æquitatis commendat: ita magis hic
laudandus erit qui officio bene functus vitas plurium ad
pieta-

pietatem bene recteque; composuit. Si in pietate & timore
Domini æquitatis cultu imbrantur juvenes, dubium non
est, quin futurum sit, ne adeò cœco impetu negotia regan-
tur in judiciis nec ex præconceptis opinionibus lædatur
æquitas. Quæcunq; fundamenta juventuti inculcata fue-
rint vel bona vel mala, redundant vel in emolumenū rei-
publicæ & justitiae, vel in perniciē: nam ita comparata est
hominum natura omniū, ut opiniones, quas ab initio imbi-
berunt, cū radices altas egerint, agrè exuant. His bonis igi-
tur ornare juventutē hactenus & beare rempublicā cumu-
latè solitus qvam aliam in ipsis liberis spem nobis facturus
erat, nisi optimam, firmam, lätissimam? quō alio animo ge-
nerosæ prolis mors toleranda erat, quamqui augmentum
boni sublatum esse queritur? De avitâ gloriâ multa dicenda
erant, quorum intuitu nunquam potuisset sui esse imme-
mor officii bona hujus Infantis nostri indoles. Adeò Acta
nostræ Academiæ & Senatūs magnis cum præconiis omni-
um loquuntur *Avi paterni* prudentiam, sedulamq; publi-
cæ utilitatis curam, indefessam & admirabilem diligentiam;
Et sanè quis nostrūm est, quem virtutes *Consulis, materni*
Avi, latere queant Viri jurium doctrinā consiliorumq; uber-
tate refertissimi? Evidem non omnia quæ de Viri lau-
dibus sentimus nunc producimus; quamquam recordatio
summæ humanitatis gratæq; amicitiæ vix sinat tacere eum
qui cumulatissimè expertus est. Vedit, audiit, & experta
satis hæc nostra etiam provincia ingenii vires & pruden-
tiæ opes; placuit Serenissimis sedula viri opera versa in uti-
litatem publicam: Cujus plena semper & frequens domus
concurſu splendidissimorum hominum; quem advenæ
quoq; & peregrini jam suis in locis auditum, cum primū
urbem attigerunt requirunt ac vultum agnoscere concu-
piscunt: qui exercere artem doctus quâ semper armatus
præsidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus,

B

invi-

invidis verò & inimicis metum & terrorem ultrò fert ipse
securus & velut quadam perpetua potentia ac potestate
munitus. (*Quintil. in dial. d. orat.*) Extalium certè JCto-
rum gloria & ex viva instituentium voce quid non boni
ipsis in nepotibus sperandum est? Ea certè glorioſa libe-
rorum fortuna, si parentum virtus illucescat, quorum in
monitis C. Aquilii Galli enconium facile quis expecta-
turus, liberisq; speculum quoddam justitiae ostensum cre-
diturus est, ab his certè, quorum omnis in justitia defixa
debet vultq; esse cogitatio. Tale autem exemplum in C.
Aquila Gallo nobis prædicatur abs Tullio: Cujus pru-
dentiam populus Romanus in cavendo non in deci pien-
do perspexit: qui juris civilis rationem nunquam ab æquitate
sejunxit: qui tot annos ingenium, laborem, fidem suam
populo Romano promptam expositamq; habuit: qui ita
justus & bonus vir fuit, ut natura non disciplina consul-
tus videatur: ita peritus, ut ex jure civili non scientia solum
qvædam, verùm etiam bonitas nata esse videatur: cu-
jus tantū ingenium erat, tam prompta fides, ut qvidqvad
inde haurires, purum liqvidumq; te haurire sentires. Sed
ulterius ad veterem gloriam facile accessurū filiolum spe-
rabamus, qvi ex castā parente natus, non in cellā emtæ nu-
tricis sed gremio matris educandus erat, cuius præcip-
pua laus est tueri domum & ornare liberos, cuius si-
cut Aviarum probati sp̄ctatiq; mores, coram qvibus
neq; dicere fas erat qvod turpe dictu, neq; facere qvod
inhonestum factu videretur. Hanc veterū disciplinam eō
pertinere dicit Messalla ap. *Quintil. in Dial. D. Orat. c. 28.*
ut sincera & integra & nullis pravitatis detorta unius-
cujusq; natura, toto statim pectore arriperet artes ho-
nestas: & five ad rem militarem, five ad juris scientiam,
five ad eloquentiæ studium inclinasset, id solum a-
geret, id universum hauriret. Ceterū ō variam rebus
in

in humanis fortunam, cum spes nostra in primâ (quod
ajunt) herbâ extinguitur! Hic sanè optimorum paren-
tum mœstitudinem provocare non decrevimus; quinimò me-
deri doloribus satius videtur, dū oculos fugit nostros qvod
amatum est. At verò an dolores nostri, qvos sensimus vel
etiamnum sentimus: an temporis diuturnitas aut alia so-
latiorum genera ostendenda erunt, quæ ex necessita-
tis fatique argumentis sunt? Hæc sola inter eos
parantur, quibus divina latet veritas & genuina
non innotuerunt mortis solamina. Id Christianis
cogitandum relinquitur, qvam constantiam virtus im-
peret, qvam fiduciam Dei bonitas ab ipsis postulet. Qva
ratione licet sit erectum nobis delitium, licet his in terris
destituta videatur bono aliquo vita nostra; meritò in bonitate
Dei quærimus solatium, meditamus statum animarum, quo solutæ
gaudent, dum diu multi cupiverunt solvi & cū Christo esse hodieq;
sunt. Quæso annon nostras lacrymas nostrosque, si bene perpen-
derimus, dolores vellemq; remittere cælestib; nostrorum gaudiis?
Hæc autem o quām certa sunt, nec sine perceptione, nec ullibi se-
pulta, dum in manibus domini anima est! un de etiam B. Brunonis
Herbipolensis Episcopi exclamatio huc referenda est *O mors vita-*
lis, o interitus ambiendus, o transitus glriosus! (*expositio. in Psalm. 115.*)
Quinimò bene notanda verba sunt Juliani Archiepiscopi Toletani
qui lib. i. prognosticon sive de origine humanae mortis cap. 8. ita:
Mors quā separatur corpus ab anima est plerumq; bona bona quia per
eam pertransitur ad immortalitatem futuram, non quia mors bonum
aliquid facta est, qua antea malum fuit: sed - - - Deus fidei præstit
gratiam, ut mors, quam constat esse vite conterariam, instrumentum fieri
ret, per quod transiretur ad vitam. Nec alia mens fuit Petro Bleſensi
Barthonensi Archidiacono, dum Serm. 29 ait: *O quām pretiosa est*
mors sanctorum! per quam datur æternæ salutis hereditas; vissi sunt oculi
insipientium mori, sed in pace dormiunt. Evidem cordatissime
innuit Dionys. Areopagita: (*de Eccles. Hierach. cap. 7.*) dum ad mor-
tem pergunt bi quidem qui sanctam vitam traduxerunt ad veras Dei
promissiones intuentes, quarum veritatem quodammodo in resurrectione
jami conspexerunt, cum firmâ & verâ spe gaudioq; divino ad mortuâ ter-
minum

minum tanquam ad finem certaminum, perficiuntur; quod cere-
sciant, sua omnia, propter futuram suam resurrectionem, in tu-
to fore in illa perfecta aeternaz, vita & beatitudine. Nam sancte qui-
dem anima cum in hac vita degentes adhuc perverti possint, in regenera-
tione illâ ad statum inmutabilem Deoq; maxime conformem transvere-
tur. Quid nianimo tranquillo igitur ferenda mors infantis nostri
cujus anima hoc anno die xxii. Julii per sacrû baptismū à peccatis
abluta & supra nivē candefacta, licet ultra octiduum, (per id a. solū
olim in Ecclesia renati albis vestibus incedebant) innocentia exta-
tis tamen ceu niveo candore adornata ad immensa per Salva-
torem processit gaudia. Hæc certèratio videtur, quare magnâ pie-
tate venerari velint optimi parentes divinâ voluntatē, & gloriari,
quod ad cœlos abierit sui sanguinis progenies priusquā vitæ malis
implicaretur, & sine metu conscientiæ adsanctorū chorū progres-
sus sit, quē sine tentatione per temp̄ omne communis hostis relictu-
rus non erat. Interea nos omnes, qui beati Infantis hujus tantos
parentes merito amore prosequimur, illorum etiam inter ho-
mines fortunam Deo commendamus, ex eorumque posteris
optamus publicis utilitatibus ac necessitatibus subsidia prospiri-
ma. Hæc vota nostra erunt, dum bona ac Christiana. Hodie
verò sicut null⁹ dubito, quin omnes facile confessuri sint, humani-
tatis esse & virtutis Christianæ officium, corpusculū, quod habita-
culum fuit Spiritus Sancti, debito honore prosequi: ita abs Vo-
bis omnibus, Cives Optimi, contendō, ut honorificā deductio-
ne funeris, quid favoris (qui omnino maximus esse debet) nobilissimis parentib⁹ cunctaq; florentissimæ familiæ impendendū
censeatis, luctucentissimè contestemini. Nobis tamen omnibus
in funere infantis innocentissimi oculos pono & ipse debitā
cum pietate recordor, quod Philo Carpathiorum Episcopus scri-
psit ad Eustathium Presbyterum & Eusebiū, & Stephanus Salutatus
Pisciences interpretatus est: Quare jam Christi fideles omnes rogo ac
moneo, ne unquam abene beateq; agendo cessare velint: impossibile est enim,
enī, qui bene vixit usq; ad ultimū sua vite finem, non recte mori atq; sera
vari. Sc. Quamobrem nos qnog, veluti castrorum acies inter SS. Choros
ordinemur, aliquando ad Deum ipsum sanctissime colendū & proximum
quemq; nostrum honestissimè amandum, studioſissimè accingamur:
iis enim duabus continetur lex omnia & prophetia.

P.P. Sub sigillo Rectoratus, A. Dom. MDCLXXXIX. d. XXIII. Dec.

Contentum sit in „Ade Jacobæ hora 1. pomerid.

¶(0) 80



[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn773015418/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn773015418/phys_0020)

DFG

statim desertores fiant studiorum, perpau-
 magna diffidentia, (quæ plerumque juven-
 que ad id progrediantur, ad quod alii levius
 magno labore & fine ullâ diffidentiâ perdi-
 tione magis educationi maximam in fami-
 vim inesse existimandum est. Tum verò ô
 quis nescit vitia innumera, quorum pauci
 illectamina, dum rari sponte virtutis via
 magno animo ingrediuntur, in eaq; indefe-
 onem retinent. Quænæm hîc non mon-
 qualia non meliora exspectanda quam a
 experientia prudentiæ doctrina instructi-
 tiæ autoritate suis ipsis in virtutibus exem-
 Sic optimæ illud educationis bonarumq;
 sedulâ tali curâ præmium est, ut virtus filii
 sit, quia ita quibusdam videatur: quin po-
 Gregorii & prudentibus parentum moni-
 ant qui hoc existimant, qui omnes sui sim-
 privata eorum vitia sub communibus deli-
 parentum autoritatem sâpe inferioribus
 untur consilia, ubi sapientiæ viam & re-
 ceptorum ignorasse ipsi parentes deprehe-
 verba ceu inania cordi non sunt. Verum
 pluribus verbis opus est: etiam si vulgare
 cum filii noxa, idq; tunc ut plurimum obti-
 privatam planè negligant parentes: hinc læ-
 est, ubi in probâ suâ progenie rempublican-
 ta parentum cura est. Quid nunc dice-
 magnâ spe deturbatos videamus, si pare-
 mi amiserint futuram effigiem mornum su-
 constantiæ, pietatis, ingenii filium? In
 generatione resultat, dolores indicat, u-

A 3



Image Engineering Scan Reference Chart T2633 Serial No. 0331